



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetijs, 1609**

Vers. Vers. Seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in  
eisdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

Verf. Eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur,

## S V M M A.

- 1 *Iudices seculares decernentes aliquid contra iudices Ecclesiasticos in excommunicationem incidunt, quæ excommunicatio etiam, quousque pateat declaratur.*
- 2 *Exequentes mandata facta a iudicibus laicis contra iudices Ecclesiasticos in excommunicationem incidunt.*

**I**N hac parte duo genera hominum excommunicantur, duas ergo regulas & hic ponamus.

In excommunicationem hanc

- 1 ergo incidunt iudices, qui ipsis iudicibus Ecclesiasticis prohibitiones, mandata ve pœnalia prædicta decernunt, vt habetur in verf. proposito. Quæ excommunicatio declaratur, vt superior.

Item afficit excommunicatio hæc, statim atque huiusmodi hæc decreuerunt, esto adhuc executioni mandata non sint, ob verba illa, Qui hæc decernunt, nam decernere est actus diuersus ab executione. Sed iam alteram regulam ponamus.

- 2 In excommunicationem hanc etiam incidunt, qui mandata pœnalia contra ecclesiasticos iudices prædictos exequuntur, ob verbum illud Exequuntur. Quare

apparitores, plazarii vulgo dicti, seu Sbirri in excommunicationem hanc incident prædicta exequentes.

Quæ excommunicatio etiam declaratur, vt superiores.

Excipitur tamen primo, vbi id se non posse ignorarent, quod sæpius contingere potest, nam tunc excusantur. arg. ca. Apostolica. de cler. excom. min.

Item excipitur, vbi ad id cogentur, nam tunc etiam pœnam hanc euadent, vbi tamen probabilis metus ipsis iniiceretur, non enim verisimile est Ecclesiam cum graui periculo voluisse quem excommunicatione afficere, sed iam ad postremam partem huius Capituli veniamus.

Verf. Seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

## S V M M A.

- 1 *Auxilium, consilium, fauoremue præstantes iudicibus secularibus contra Ecclesiasticos iudices in prædictis, in excommunicationem incidunt.*

**I**N hac parte excommunicantur, qui fauent in prædictis casibus vno ex quatuor modis. Quare vnam tantum regulam ponamus.

- 1 In excommunicationem hanc igitur incidunt, qui auxilium ad



praedicta dant, quod multis modis fit, vel re, vel verbis, ut alibi declarauimus.

Item, qui ad haec facienda, con-  
siliium dant, exempli gratia, uel  
ut fiant, uel quo modo fiant.

Item, qui patrocinium ad eadem  
praestant, utpote apud Cancellarias,  
& Curias seculares, & sic in  
iudicio. argum. capitu. 1. de postu-  
lan.

Quare & procuratores, & ad-  
uocati, qui rem hanc agunt, in poe-  
nam hanc incident.

Postremo & qui fauorem pre-  
bent, quod multis modis fieri po-  
test, ut pote in iudicio curando,  
ut faciliem ingressum ad Curias se-  
culares hi habeant. Item curan-  
do, ut quam primum res expediat-  
ur, quod faciunt ij, qui uulgo di-  
cuntur Solicitatores. Item scriben-  
do praedictas inhibitiones, & ma-  
data poenalia, quod faciunt publi-  
ci scribae. Extra iudicium uero  
multis modis, ut alibi dixi. Hi  
omnes ergo in excommunicatione  
incident, quae excommu-  
nicatio, ut superiores, declara-  
tur.

Excipitur tamen, ubi executio  
facta non esset, nam si is, cuius  
de re agitur, in excommunicatio-  
nem non incidit, nec ij, qui ad  
id opem tulerunt. Atqui de Ca-  
pite hoc satis, ad aliud transea-  
mus.

*De excommunicatione lata contra Vsur-  
pantes fructus Ecclesiasticos, vel eos-  
dem sine legitima licentia sequestran-  
tes.* Cap. XVII.

Quae iurisdictiones, seu  
fructus, redditus, & pro-  
uentus, ad nos, & Se-  
dem Apostolicam, &  
quascunque Ecclesiasti-  
cas personas, ratione  
Ecclesiarum, monaste-  
riorum, & aliorum be-  
neficiorum Ecclesiasti-  
corum pertinentes, V-  
surpant. Vel etiam  
quauis occasione, vel  
causa sine Romani Pon-  
tificis, vel aliorum ad id  
legitimam facultatem  
habentium expressa li-  
centia, sequestrant.

S V M M A.

- 1 Iurisditio quid sit.
- 2 Fructus quid, & quotuplex sint.
- 3 Reditus, & prouentus quid signifi-  
cent.
- 4 Vsurpare quid significet.
- 5 Ecclesiarum nomine qua comprehen-  
dantur.